

B. M. II, 106.

h. 20, 2.

80. x 1879301

I. N. J.

II K
2802

DISPUTATIO ACADEMICA

De

ADQVVSITIONE REGALIVM,

Qvam

DIVINA ADSPIRANTE GRATIA
permittente

Magnifico Fctorum Ordine

In

Alma Philurea.

P R Æ S I D E

DN. D. BARTHOL. LEONHARDO
SCHVVENDENDORFFERO,
JCTO LIPSIENSI,

Patrono & Promotore suo æternum devenerando
publicæ disqvifitioni exhibet

D. XXII. April, Anno M DC LXXXVI.

ANDREAS Ernst / North,

Autor.



LIPSIÆ

apud JOHANNIS GEORGI.



J. M. ... 92.



10. 11. 1840
A. 10. 2.

DISSENTIO ACADEMICA

ADDOVATIONE
RE GALEUM

DIVINA INSPIRANTE GRATIA

Magnifico Rectori Ordinis

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

ON. D. BARTHOLOM. LEONHARD
SCHEVNERDENDORFER

P. 10. 10. 1840

D. XXII. April. Anno M. DC. LXXXVI.

ANDREAS SCHNITZLER

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

1840
HALLE
1840



PRÆFATIO.

DE Adquisitione Regalium acturis ante omnia constare debet, quid propriè sint Regalia: de quibus quicquam hic præmittere necessum fore putamus, ne de ipsa illorum adquisitione frustra verba faciamus. Quapropter nostram hanc dissertationem in quinque distingvimus Capita quorum I. exhibet *Regalium Originem ac descriptionem tam nominalem quam realem*, II. *quibus competant*. III. *quomodo differant à Majestate, Suprematu, Jurisdictione ac Feudis Regalibus*, IV. *Adquirendi modos*, V. *denique remedia & actiones quibus Regalia vindicantur*. DEUS cœpta secundet.

CAPUT I.

Continens

Regalium originem ac descriptionem tam nominalem quam realem.

I.

Vocabulum *Regale* communiter usurpatur; tanquam adjectivum & non solum apud Autores Classicos sed etiam in jure nostro Rom. sæpissimè reperire licet: Sic enim ipse Justin. pro-

A 2

miscuè

miscuè usurpat, in *L. ult. C. de LL.* ubi per *regalem sensum* intelligit sensum Imperialem & in *L. 3. C. de quadrienn. prescript. l. 14. §. 2. C. de adsess. regale Culmen.* vocat Majestatem Imperatoris. Ast in *Jur. Can. & Feud.* nonnunquam simpliciter positum tanquam substantivum invenitur ut in plurali dicantur Regalia *c. 13. de Elect. 17. rubr. & pr. 2. F. 26. §. F. 8.* Barbarè autem Regaliæ in dict. rubr. & pr. dicuntur quæ nos rectius vocamus Regalia.

II. Unde autem & quare dicantur Regalia mirè variant Feudistæ quos videre licet apud *Dn. Zigl. de jur. Maj. l. 1. c. 3. n. 9* Nos vocabulum hoc deducimus ab ipso *Rege* à quo nomen suum sortiri plerique existimant, fortè ideò quia hoc Imperii nomen antiquissimum, summum Majestatis Fastigium in Rep. denotans testante *Just. c. 1. pr.* Nam omnes antiquæ gentes Regibus quondam paruerunt *Cic. 3. de LL.* vel etiam quod jura hæc quæ dicuntur Regalia Regi sint propria & ossibus ejus quæ inhereant, vel denique quòd regalem dignitatem atque splendorem contineant, quò Reges præ reliquis in Civitate degentibus quàm maximè effulgere solent.

III, Notandum vero quod in libris feud. Rex, Imperator, & Princeps sint Synonyma ac promiscuè usurpentur *1. F. 7. 14. 15. 2. F. 10. 54. & passim.* Ast in Imperio nostro Rom. Germ. magna intercedit differentia inter Imperatorem Regem Romanorum & Principem, unde & cuivis seorsim non unò eodemque modo sed diverso respectu competunt Regalia uti infra videbimus. Quod autem discrimen inter Imperatorem ac Regem Rom. attinet, illud vel ex solis diversis Coronationibus Regum nostrorum non poterit non esse manifestum. Etenim si antiquiora respicimus tempora patet Germaniam nostram semper distinctum ac planè separatum Regnum ab Imperio Rom. extitisse nec quidquam cum Imperii Juribus habuisse commercii ac licet postea Imperium Rom. ad Germanos sit translatum nihilo tamen minus Germaniam nostram semper liberam ac sui Juris Remp. adhuc mansisse testatur *Conr. de Imp. Rom. Germ.* Hinc postquam Pontifex Rom. Jus coronandi ac confirmandi Imperatores sibi arrogaverat (quò jure quæve injuriâ nostrum hic non est disquirere) multi etiam si in Reges Rom. electi ac coronâ Germanici Regni honorati essent, Titulum tamen ac nomen Imperatoris usurpare noluerunt, donec à Papa fuerint uncti atque coronati, de quo extat

cap.

cap. Venerabilem 34. de Elect. quò factum est ut & hodiernum duæ ac distinctæ manerent coronæ, quibus moderni Impp. alterâ quâ Reges Germ. alterâ quâ Impp. Rom. coronantur atque insigniuntur. Est verò Imperator hodiè is qui actu præest Imperio; Rex Rom. considerari potest dupliciter (1.) *Ordinarie* quando nim. vacante Imperio eligitur mox in Cæsarem promovendus & sic ab ipso Cæsare non nisi nomine ferè differt (2.) *Extraordinarie* quando vivò adhuc Imperatore eligitur qui nulla gaudet potestate nisi certis casibus ex Commissione Imperatoris exercenda. Bœcl. Not. Rom. Imp. l. 4. c. 2.

IV. Porro ab Imperatore ac Rege Rom. differt etiam Princeps qui itidem diversimodè considerari potest (1.) *Eminenter* quatenus Imperator ut omnium supremus Princeps salutatur. (2.) *Generaliter* & tum omnes Imperii status præter Electores & Civitates Principes appellari solent. Unde & Principum tam Ecclesiasticorum quam secularium, Prælatorum, Comitum & Baronum Conventus dicitur: *der Fürsten Rath*. (3.) *Specialiter* quatenus Electoribus Comitibus & Baronibus contradistingvuntur, (4.) *Specialissimè* qui simpliciter Fürsten dicuntur. Non omnes autem Principes Imperii audiunt qui Principali gaudent dignitate: Sic enim nudos istos Principes, quales sunt merè Titulares, quos Imperator ob præclara merita, Principes creare solet, hoc nomine ne utquam comprehenduntur sed ii demum qui de Principatu seu Ducatu ab Imperatore investiti sunt ac Jus Consultandi ac suffragendi in Comitibus habent V. Burg. Not. Rer. Imp. p. 1. Disc. 20. m. 2. num. 27. Unde apparet quid sentiendum de Opinione Sprengeri in *Synopsi Jur. Publ. c. 6. in fin.* asserentis *Principem seu statum Imperii esse, non est patrimonii qualitas sed personæ Dignitas non glebæ pretium sed summi Principis premium. Proinde licet extorres sint & nihil præter titulum possideant nihilominus retinent jus Comitiorum modo Origine status sint.* Hæc enim Doctrina nostris temporibus non amplius convenit, dum nemini permissum est suffragii jus sine possessione sublimis territorii. v. Cap. Leop. art. 46. *Conr. ad Lamp. p. 2. c. 3. §. 5.* Cum ergò quilibet Princeps ac status bona Imperio immediatè subjecta possidere debeat Regalia quoque territorio simul annexa habeat necesse est. Quid autem per Regalia intelligamus ex sequentibus patebit.

V. *Regalia sunt nihil aliud quàm jura Majestatis ad regen-*

turæ suæ viribus, sed consiliis & actionibus hominis supernè imminet Inspector DEUS, qui per illas secundas causas (nec sanè sine illis, quippe non ignavis sed agentibus omniaque tentantibus annuente DEO, cuncta prosperè succedunt) Ipse prima rerum omnium causa omnia flectit, torquet, dirigit ad eventum sibi placitum, uti Magnus ille Politicus antea alleg. Dn. Förstn. cit. loc. prolixè contra Machiavellum disputat.

VIII. Cum itaque Regalia per jura Majestatis descripsimus non nudum istum Majestatis titulum ac insignem honorem sed ipsum τὸ κέριον seu summum regendæ Reip. potestatem hîc intelligimus. Et quamvis Majestas in priori sensu accepta, etiam Regibus, qui Autoritate suadendi magis quàm jubendi potestate valent, verè tribui soleat, Regalia tamen seu jura Majestatica illis adscribi haud poterunt. Nam Majestas in nostro sensu accepta est totum aliquod potestativum sibi ipsi sufficiens, independens, nullaque re extra se indigens, quod seipsum absolvit atque determinat. Hinc est tritum ac vulgare istud axioma Majestas non agnoscit Superiorem nisi DEUM & gladium. Princeps enim quæ Creatura DEI, respectum ergà Creatorem suum nunquam exuere potest unde ad cultum amorem, & obsequium DEO præstandum non minus obstrictus est quàm ejus subditus, cum leges divinæ etiam ipsi sint latæ & non privatorum duntaxat, sed Regum etiam conscientiam attingant. Et hoc est quæ Princeps ex pacto vel contractu quem cum subditis suis iniit, naturaliter obligari dicitur; non ac si honestas saltem suadeat Principem ad promissa servanda teneri, sed vera ac propria hîc oritur obligatio, quæ Principem eodem modò obligatum reddit, quò sibi obligantur subditi, etsi diversitas deinceps in modo exigendi sese exerat, cum subditus refractarius facili negotio ad adimplendum Contractum adigi possit, ipsi verò nullum competat remedium cogendi Principem, quippe qui legibus Civilibus, quatenus ab eo dependent subjici nequit. Quod si tamen Rex subdito jus suum ordine judiciario adversus se consequi permittat, seque proprio tribunali submittat, id non tam ex ratione aliqua Civili, quàm ipsa æquitate naturali fecisse censendus est. Puff. de I. N. & G. l. 7. cap. 10. n. 6. Ziegl. de jur. Maj. l. 1. C. 1. num. 31. & seqq. Quando verò Majestas gladium

dium supra se agnoscere dicitur, id non intelligendum est, ac si ita in terris aliquid esset quod Principe superius existeret, sed sensus est, Principem nullo jure cogi posse, nisi majori vi, cui is, qui potentiâ minus valet, ad resistendum est impar. Nihil enim contra omnem vim perstat in rebus humanis, sed ille plus valet, qui plus potest, salva tamen semper manet Majestas ejus, qui debiliores partes subit Becm. *Med. pol. parall. c. 12. §. 2.*

IX. In definitione Regalium porrò dictum est ea competere, ad regendam ac tuendam Remp. Cum enim in his duobus tota consistat salus atque felicitas Reip. tria potissimum huc spectantia necessaria sunt. Nimirum potestas Legum ferendarum, jus Magistratus constituendi, ac denique Jus belli. Impossibile namque est sine legibus, sine Judiciis Remp. conservare, aut sine bello tutos nos semper esse. Quapropter cum tria ista in quavis Repub. quàm maximè sint conspicua, ut iis Civitas neutiquam carere debeat non incommodè cætera quoque Regalia, si non omnia plurima tamen huc referri possunt, quin etiam Regalia vel in respectu ad subditos, l. in respectu ad pares considerari queunt. Posteriori casu considerata regalia exteros magis respiciunt, quando nimirum Princeps cum Principe agit aut contrahit; talia sunt Jus belli & pacis, Jus fœderis sancienti, Jus legatos mittendi, Jus commerciorum circa res importandas & exportandas & ff. priori casu considerata Regalia subditos solum concernunt & limites Imperii non egrediuntur, qualia sunt Jus vectigalium, Jus legum ferend. Magistratuum creandorum, Comitiorum &c. illa ex potestate mutua & utrinque æquali, hæc ex potestate supereminente proficiscuntur. Illa regalia æquiparantiæ, hæc disquiparantiæ vocantur, utraque tamen conservationi status inserviant, *Zigl. ad Grot. l. 1. c. 3. §. 6.*

CAPUT II.

Quibus Regalia competant.

I.

HActenus de Origine Regalium eorumque definitione egimus, nunc paucis etiam nobis videndum, quomodo Regalia

tia in Imperio nostro Imperatori cæterisque Statibus Imperii competant. Hic autem ante omnia inquirendum nobis erit; qualis Reip. forma nostro Imperio assignanda sit; de qua acerrima inter Jur. publ. Scriptores orta est controversia: Quidam enim Monarchiam, hi Aristocratiam, alii mixtam Remp. ex Monarchia & Aristocratiâ compositam, alii denique Systema plurium Civitatum adstruere conati sunt, ita ut qui certum quid hic definire velit periculosa plenum opus alicui tractare videatur. Quamvis enim illorum jamdudum explosa sit sententia qui statum Monarchicum propugnare omnem movere lapidem, anceps tamen adhuc inter Dd. disceptatio est, quænam ex tribus posterioribus Rerump. formis in Imperio obtineat. Certè si verum dicere licet fatendum erit, non facile inter gentes Christiani nominis dari Remp. quam peculiari nostræ Germaniæ similem esse dixeris. Interim tamen si una Resp. ex simplicibus istis, prout vulgò à rerum Civilium peritis describuntur, statuenda est, Germania nostra Aristocratia proximè accedere videtur, ubi administratio publicæ potestatis inæqualiter est distributa ac alter alterum potentiâ, dignitate & rebus gerendis antecellit. Illud quidem ultrò largimur, nostrum Imperium ob specialem Ordinum Libertatem, ac Jura singularia multas regulas quæ in statu Aristocratico obtinent averfari, ac proinde pro pura Aristocratiâ venditari non posse. An verò ideò statim talis esse desinat non sine causa ambigimus. Quemadmodum enim non facile speranda est Resp. quæ omni prorsus imperfectione careat ita quoque non mirum si in fluctuanti nostro Imperio reperiantur, *mala quæ per longas invaluerunt moras*, quæq; non nisi infaustis & periculosis emendari possunt remediis. Hinc licet nostra Resp. variis morbis laboret, aut hoc vel illo Aristocratia requisito destituatur, ipsam tamen ejus naturam propter ea nondum exiit. Quod enim potissima Majestatis Jura quæ totum Imperium ostentant, non nisi omnium Procerum consensu ac suffragio exerceri debeant, insignem status Aristocratici Characterem arguit, & quamvis Imperii status vi pacti vel conventionis ditiones suas, quas ut privatum patrimonium singuli possident, liberè ac sine ulla rationum redditione administrant, nihilo tamen minus totum Imperium Aristocraticè gubernari, rectius for-

fortassis asseritur modò ista administratio non omnem Imperii Superioritatem respuat, & nihil detrimenti tota exinde capiat Resp.

II. Quod autem illorum attinet sententiam qui mixtam Reip. formam nostro Imperio tribuunt, illam plurimi quidem ac magni nominis Viri mordicus defendunt, sed accuratius rem perpendenti non absque ratione dubitare licet an detur Resp. mixta, & quidem talis quæ ex duabus simplicibus formis coaluit, quam dari non posse rectius cum Domino Becm. *Med. pol.* statuimus. Cum enim Majestas sit totum aliquod inseparabile, fieri haud potest, ut in Rep. mixta unus Monarcha parte Maieftatis, & alter populus, Proceres, alia parte ejusdem frui possint; Divisa enim sic esset Majestas quod naturæ Majestatis repugnat, v. all. *Aut. cap. 24. §. 6.* Quando itaque Maieftas in Imperio nostro penes Imperatorem ac status reliquos esse dicitur, illam non divisim sed conjunctim penes omnes, quatenus nimirum unum corpus morale repræsentant residere oportet, ita ut neque solus Imperator neque status Maieftatem habeant independentem.

III. Qui denique Imperium Germ. corpus ex multis rebus pub. fœderatis conglomeratum disputant in eo nos habent dissentientes, quia subalternum istud regimen statuum nostrorum à toto Imp. est dependens & ita cum tali systemate ubi plures perfectæ & independentes Majestates esse solent, neutiq̃am comparari potest, ut taceam novam hanc opinionem dissidiis & turbis temporum aptam semper displicuisse patriæ amantibus civibus *Bœcl. Not. Imp. l. 22. c. 2.* Non videtur tamen nostræ assertioni adversum esse si cum Dominò Lud. Hugone duplex in Imperio regimen, summum, scil. & subalternum statuamus. *Nam & communi aliqua Republ. inquit ille diss. de statu Reg. Germ. Imperium universum regitur & singulæ regiones ex quibus componitur proprios quosdam Principes vel Magistratus Judicia & Consilia atq̃ adeò peculiarem quandam superiori illi subjunctam Remp. habent.* Enimvero magna negotia quæ ad totam remp. spectant in comitiis excutienda veniunt, quæ vero singulas ac particulares Resp. concernunt, quælibet domi seorsim ac privata intra subsellia attendit.

IV. Quamvis igitur Imperii nostri status Aristocratico videatur esse simillimus, dissimiles tamen administrandi gradus in eo de-

prehenduntur, alio scilicet plus, alio minus autoritate, Prærogativâ, atque Præ-Eminentia, pollente. Primus autem omnium qui reliquis potissimum eminent est Imperator, cuius specialia jura etsi non nihil Imperium Aristocraticum delibare videantur, tanti tamen momenti non sunt, ut penitus illud everterent, siquidem Jura illa reliquis etiam statibus ex speciali privilegio in territoriis suis exercendis concessa sunt, paucis quibusdam exceptis, quæ ad solum Imperatorem spectant inter quæ præcipuum est jus investiendi, & conferendi feuda quæ dicuntur *Fahn-Lehn* / quod ne quidem Vicariis Imperii competit sed is, qui tali feudo investiendus est ab ipso Imperatore feudum accipere debet.

V. Status Imperii considerari possunt ut omnes simul sumti vel ut singuli, ut omnes considerati non minus Regalia in toto Imperio exercent, quàm ipse Imperator, quia de Majestate participant ac unum corpus morale constituunt, ubi per corpus morale non nudum figmentum intellectus aut præter hoc quod cognoscitur nullum esse habeat, sed veram ac propriam intelligimus personam, quæ per se existit, intelligit atque agit ex voluntate plurimum in unum quasi collata, ut ita ab una ista persona ex variis tamen personis physicis composita omnia tanquam ab una anima regi videantur. Quando verò Imperii ordines ut singuli considerantur seu quatenus quilibet territorio suo præest, dubium hinc occurrit, utrum superioritas illa territorialis seu jura superioritatem hanc concomitantia rectè Regalia dici mereantur? Sanè si Principibus nostris Majestas propriè sic dicta non competit nec jura Majestatis seu Regalia illis attribui verè poterunt, cum hæc sine illis, & illa sine his esse nequeant. Interim tamen cum Principum nostrorum potestas tam latè pateat ut regie ferè æquiparetur ac in ditionibus suis quas sub fidelitatis nexu ab Imperio tenent, nullum præter Imperatorem, agnoscant superiorem, rectius suprematum cum quo non pugnat istud subiectionis genus quo Proceres Imperio tenentur illis tribuimus. Quid autem per suprematum denotetur ac quomodo à Maj. differat in seq. Cap. videbimus.

CAP.

CAPUT III.

Quomodo Regalia differant à Majestate Suprematu, Jurisdictione, ac feudis Regalibus cum annexa divisione.

I.

IN Cap. I. §. 8. monuimus, Maieftatem dupliciter confiderari poffe (1.) quatenus titulum & excelfam dignitatem denotat (2.) prout ipfam potefftatem fignificat. Priori cafu multum fanè differunt Regalia à Maieftate. Fieri enim potefft ut quis titulò Maieftatis polleat deftitutus tamen fit Juribus Maieftatis, & viceverfa qui habet Jura Maieftatis non ftatim confequitur dignitatem perfonalem. Sic enim Pontifex Rom. Veneti fumma exercent Jura Maieftatica titulo tamen Maieftatis non gaudent & quemadmodum Titulus Ducis, Comitum, Baronis competere potefft absq; Ducatu, absq; Comitatu, ita hic quoq; tale quid feffe exerit. Poster. verò cafu quando voce Maieftatis ipfum fummu Imperium intelligitur Regalia à Maieftate nihil ferè differunt nifi quod Maieftas circa varia occupetur obiecta à quibus Regalia fua accipiunt nomina, ita ut una eademqve Maieftas fit maneatqve totum aliquid in fe parabile per diverfos faltem actus feffe exerens. Sic potefftas ferendarum & abrogandarum legum, jus foederis fanciendi, jus armorum &c. non nifi nomine à Maieftate differunt, à qua omnes iftæ actiones dependent & tanquam rivuli ex fonte fluunt, ac refluant.

II. Suprematus in eo quidem cum Maieftate convenit quod itidem fit totum aliquid indivifum feu complexus Jurium ad certam provinciam gubernandam fpectantium, verum non ita per fe exiftit, fed ab alio dependet. Conftat enim omnem iftam potefftatem ex suprematu resultantem per investituram feudalem Principibus ac Statibus Imperii conferri. Cum autem non omnes Status Imperii æquali gaudeant potefftate, fed quidam majus alii minus territorium poffideant, diftingit hîc Cæf. Furf. *de Jur. Supr.* inter suprematum ac fuperioritatem territorialem ftrictè ita dictam. Ad hanc enim fufficere, ut quis in fua ditione tali potefftate fit inftitutus, quâ fubditos fuos in officio continere, aut ubi opus majori tantum vi obtinere poffit, quantum

ipsi ad tuendam in subditos auctoritatem satis sit. Suprematum autem majus aliquid importare ac præter libertatem & in se potestatem requirere potentiam, quæ apud externos auctoritatem conciliare queat; Hinc liberis civitatibus Imperialibus superioritatem territorialem, Electoribus verò ac Principibus suprematum tribuit. Sed nescio an distinctio hæc firmo satis innitatur fundamento. Quomodo enim Jura Maiestatis obtinere potest civitas, quæ unica continetur Urbe, & uno absolvitur murò modò libera sit, nulli quæ obnoxia, ita etiam non minus civitates Imperiales, ut reliqui Status, gaudent suprematu cum par habeant Jus eandemque facultatem gerendarum rerum qualis in Statum Imperii maxima cadere potest. Ut taceam quasdam liberas civitates multis Principibus potentiâ & virium æstimatione superiores. Sanè à quantitate extensiva territorii ad qualitatem moralem, nulla procedit illatio.

III. Differunt Regalia porrò à Jurisdictione quæ tripliciter considerari potest. (1.) quatenus denotat ipsum summum Imperium comprehendens omnia ista Maiestatis jura, quæ subditos concernunt; qualia sunt, quæ de legibus ferendis ac diiudicandis causis tam secularibus iisque & civilibus & criminalibus, quam Ecclesiasticis ut & Magistratibus ordinandis competunt, quo in sensu accepta iurisdictio sæpius cum ipsa Maiestate confundi solet, quoniam Jurisdictio certissimus Maiestatis character, & ex ipsa Maiestatis natura fuit. (2.) Jurisdictio dicitur etiam illa quam Princeps seu is qui τὸ κύριον habet in Republ. Magistratui inferiori defert, ut ille ex delato hoc publica auctoritate munere ius dicat, quæ Jurisdicendi potestas, uti à summa Maiestate dependet ac per Magistratum tanquam instrumentum Maiestatis exercetur, ita magnum constituitur discrimen inter Regalia atque hanc Jurisdictionem idem, quoque discrimen deprehenditur inter Jus superioritatis ac concessam subalternam Jurisdictionem quam Principes ac Status Imperii rursus in suos subditos Feudi Jure vel alio modo transferunt. Hi enim respectu Principis seu Domini territorii privatorum loco habentur, quorum potestas si cum ipsa superioritate conferatur penitus evanescit. Dividitur hæc Jurisdictio in superiorem & inferiorem vel criminalem & civilem, Hinc licet utraque tam alta quam bassa in perpetuum & ad hæredes transitoria concessa sit, neutiquam tamen

tamen Regale propriè dici meretur. (3.) Jurisdictio significat potestatem reddendi Jus de omnibus causis civilibus etiam iis, quæ olim specialiter dicebantur concedi sine distinctione Magistratuum *l. 2. l. 7. §. 2. ff. de offic. ProCons. & Leg. add. Struv. Synt. Jur. Civ. Ex. IV. §. 81. Lamp. de Rep. Rom. Germ. p. 3. c. 15. n. 30.*

IV. Denique differunt Regalia à Feudis Regalibus seu bonis regalem dignitatem annexam habentibus. Illa enim sunt mera Jura, hæc verò in rebus corporalibus consistunt hujusmodi feuda tria tantum in Jure Feudali recensentur, nimirum Ducatus, Marchionatus, Comitatus. Et quamvis plura in Imperio nostro dentur feuda Regalia secularia, ut Electoratus, Archiducatus, Principatus, varii generis Comitatus, ac Baronatus, itemq; alia feuda Ecclesiastica: Archiepiscopatus, quibus comprehenduntur tres Electoratus, Episcopatus, Abbatia &c. longè tamen ac numero plura dantur Regalia, quorum comparatione feuda Regalia admodum pauca reperiuntur. Plures differentias vid. apud Sixt. *de Reg. l. 1. c. 3. n. 20.*

V. Quot numero vero sint regalia & in quotuplici illa sint differentia, generali regula vix definiri poterit. Nam quæ in *cap. un. 2. F.* recensentur integrum omnium Majestatis jurium Catalogum neutiqvam absolvunt, quin plura in eo continentur, quæ non tam ex ipsâ Majestate fluunt, quàm tacitò quòdam subditorum pactò ad Principem spectare in dubio præsumuntur. Dum enim nemo ex privatorum numero talia ad se pertinere agnoscit, summæ potestati ea relicta esse censentur. *Becm. Med. Pol. c. 18. §. 6.* Sed cum Friderici Imperii ætate quædam civitates municipales sibi ista Jura arrogarent, unicum hoc caput postea constitutum est in quo Regalium quædam exempla enumerantur, quorum usus ac reditus non ad privatorum, sed publicam utilitatem pertineant. Imò lege aut consuetudine introduci potest, ut quæ aliàs Regalia non sunt, Regalibus tamen postea adnumerentur, & vicissim, quæ hætenus pro Regalibus sunt habita, postea talia esse desinant. Sic olim Rescripta Imperatorum non aliter valebant, nisi Imperatoris nomen colore purpureo ex cocti muricis. & triti conchylii ardore seu cruore confecto subsignaretur, & si quis formam istam subscriptionis imitaretur, ultimo supplicio cum proscriptione bonorum puniebatur.

L. 6. C. de divers. Resc. Perez & Brunn. ad h. l. sed quamvis hæc omnia publicæ utilitatis causâ instituta essent hodiè tamen in desuetudinem abiere. Cum igitur tam varia inveniantur Regalia, tutissimum sanè erit, asserere toties jus aliquod Majestatis exerceri posse, quoties rerum gerendarum in Rep. occasio sese offert. Hisce enim generaliter dictis facilius nos expediemus, quam si in infinitum excurramus, aut certò numerò illa includere frustra laboremus.

VI. Illud tamen hic monendum est, quædam Regalia proximè & immediatè ad regendam rempub. competere, quædam vero remotè saltem & per consequentiam huc spectare videntur. Hinc Regalia dividi solent in *Majora* & *Minora* & quamvis communis hæc divisio non sit ad palatum omnium, in hoc tamen sensu nos illam admittimus. Quemadmodum enim honor & dignitas meritò præfertur opibus & divitiis, licet honor absq; divitiis vix conservari possit, ita illa Regalia, quæ pertinent ad ipsum regimen reip. & ad excelsam Imperantis dignitatem, præstantiora ac illustriora sunt iis, quæ ad augendas opes inventa sunt. Illa occupantur circa actus, qui tempore belli ac pacis concernunt, ut illa rectè sit constituta ac domi forisq; omnia benè sese habeant. Hæc vero magis ad commodum pecuniarium Fisco inferendum sunt necessaria, & ita majoribus quasi subsidiaria, non quòd ex Regalibus Majoribus nunquam quidquam ad Fiscum pervenire possit, nec quòd ex minoribus autoritas & dignitas imperantis planè non juvetur aut illustretur, sed quòd in illis *principaliter* ipsum τὸ κρείον respectu sui & quatenus tale est, occupatum sit, in his verò quatenus externis quibusdam adminiculis & subsidiis moraliter opus habet. Ziegl. de Jur. Maj. l. 1. c. 3. n. 29. Hinc etiam Majora Regalia vocari solent, Regalia Majestatis; merè Regalia, Sacra sacrorum, Reservata Principis, Sixt. de Reg. l. 1. c. 2. n. 2. 3. Minora vero vocantur etiam jura Fisci item Regalia communia (Die nußbaren Regalien) & hæc facilius communicari aliis possunt.

VII. Sunt autem Regalia minora nihil aliud quam varia jura percipiendi redditus ad publicum usum destinatos. Qui præcipuè in sequentibus consistunt. (1.) In indictionibus collectarum & tributorum. (2.) in vestigalibus (3.) in bonis damnatorum, quod tamen hodiè præcipuè locum habet in crimine læsæ Majestatis. (4.)

(4.) in bonis vacantibus. (5.) in bonis caducis, quæ ut indignis auferuntur, & denique ultimò in pœnis, in mulctis &c. de quibus Princeps liberam habet disponendi potestatem. Aliter vero se res habet cum bonis sacri Patrimonii, quæ non sunt in patrimonio Principis, sed coronæ adhærent, ac vocantur aliàs bona Domani, quorum administratio Regibus solùm est concessa unâ cum potestate omnes fructus & utilitates percipiendi & in conservationem Reip. impendendi. Non vero illa bona aliter in tertium transferri, alienari, vel oppignorari possunt, nisi ordinum assensus & approbatio accedat aut publica causa id exigat. Perez *ad C. de Jure Fisc. num. 9. 10.* Grot. *de J. B. & P. l. 1. C. 4. §. 10.* Inde in nostro Imperio introductum est, ut Imperatores initio regiminis juratò promittant, quòd nihil velint ex bonis Imperii h. e. eius Domani alienare, obligare, vel oppignorare Cap. Leopold. *art. 12.* Denique cum redditibus fiscalibus non confundenda sunt ea bona, quæ Princeps vel Dominus acquirat tanquam privatus ante Principatum vel regnum obtentum, vel etiam post, idque successionis jure vel titulo legati, donationis & emtionis, vel simili, de quibus Princeps pro lubitu disponere potest, & hæc dicuntur in Jur. Rom. bona Domani divinæ, res privatæ Dominicæ *L. 8. C. ubi Caus. Fisc. L. 3. C. de quadr. preser. L. fin. C. de fund rei priv.*

VIII. Quibus Regalia minora competant ex hætenus dictis facilè constat. Qui enim habet Regalia Maiora, illum & minora habere oportet. Hodiè vero pleræquè civitates municipales merum imperium habentes Jura Fiscalia exercere solent, quia non amplius civitatum superiorem recognoscentium tam tenuis & abiecta conditio nostro ævo conspicitur: Id quod tamen non ad omnia fisci Jura extendendum. Nam potestatem collectas indicendi non obtentâ Principis licentiâ neutiqum sibi arrogare potest civitas municipalis, sed illas solùm vi Jurisdictionis sibi competentis exigat, ac imperata onera secundum debitam proportionem inter cives distribuit, ut adeò Jus instituendi, & Jus exigendi tributum maximè inter sese differant. In casu tamen necessitatis vel ob aliam causam publicam interdum absque permisso Principis collectas imponere Magistratui licet, extra tales casus si collecta imponatur nullius est momenti Perez *ad Cod. de Jurisdic. num. 10. 15.* Ziegl.

de Jur. Maj. l. 2. c. 1. num. 18. & seqq. Hæc itaqve etiam de Regalibus minoribus dicta sufficiant.

CAPUT IV.

Quibus modis Regalia acquirantur.

I.

Perspectâ itaqz Regalium descriptione, quibus illa competant, quomodo differant ac dividi soleant ad ipsos acquirendi modos iam deveniamus necesse est. Competunt autem Regalia vel *Jure successionis*, vel *Jure Electionis*, vel *Jure belli*. Quod successionem attinet, illa potissimum in regno hæreditario locum habet nec aliis Rebus proprie applicari potest. Quamvis enim in Aristocratia ubi penes certas solummodo familias summa rerum, residet, Jus successionis obtineat, non tamen ut singuli, sed ut omnes in Maiestatem succedunt, nec virtute propria Regalia sibi acquisivisse dicuntur. Est autem successio vel *justa* vel *injusta*, Justa dicitur, quæ fit vel ex *testamento*, vel ab *intestato*, ob proximitatem, gradus, vel quæ aliam legitimam præsupponit causam. Injusta vero est, quæ iniustam, ac nullo iure fundatam præ se fert invasionem sive placidè seu truculenter in populum sine ulla tamen subiectionis declaratione Imperium quis exerceat, semper hic acquirendi modus vitio laborat. De tali ergò iniquo Dominationis usurpatore quæritur: *An subditi ei parere, & imperata facere teneantur?* Sanè si iste invasor nunquam pro Principe sit agnitus ab iis, penes quos agnitio illa est sita, dubium prorsus nullum est, quin non solum ejus Imperium justè detrectari, sed ipse quoque juribus sibi non competentibus destitui ac si ab incepto nolit Imperio desistere etiam trucidari possit. Aliud vero statuendum de eo, cui legitimò Rege expulsò, nullaqz spe illò rursus potiundì subditis relicta, semel fides atque obedientia promissa est. Huic enim omninò obtemperandum, nec quidquam contra illum molendum esse puto, præsertim si Remp. benè gubernet, ac ita res suas componat, ut civitas bellorum ac pacis tempore tuta esse, & civium inter se concordia constare possit. Ast quando Jure quis imperium consecutus

secutus est, ac postea malè imperet, quatenus præceptis ejus parendum sit, an pro Tyranno iste sit habendus? Item an talis Princeps degenerans è medio jure tolli possit? & quæ consimilis audaciæ quæstiones hîc occurrunt illas altò potius silentiò præterimus, quàm ut periculosâ curiositate disputare audeamus.

II. Secundus acquirendi modus est *Electio*, quæ in quibusdam regnis *libera*, in quibusdam vero *restricta* esse solet. Libera est quando populus suo arbitrio Regem sive exterum sive civem ex sua natione eligendi habet potestatem, illumq; vel ad tempus, vel ad dies vitæ regno admovet. Restricta verò dicitur, quando lege aut consuetudine introductum est, ne alius nisi civis aut ex certa familia natus ad Imperium vocetur, & hicce eligendi modus in plerisque regnis electitiis observari solet: Satius enim populo esse videtur, ut Principem ex suo sanguine habeat, cum placidius sit suis parere, quàm exterorum perferre Imperia: Et quamvis Polonorum, aliarumque gentium mores atque instituta nobis objici possent, hæ tamen gentes singulares fortassis habent rationes, quarum non minima esse videtur, quod per tale remedium Nobilium æmulationes quas inter se fovent optimè compesci, & æqualitatem quandam inter se conservari posse credant, ita malunt extraneo, quàm civi ac quondam æquali obedire. Puf. *Einleitung zu der Hist. c. 10. §. 17.* Interim tamen sive alienum, seu ex sua gente quempiam populus eligat plerumque sub certis conditionibus ac pactionibus illum in Regem recipere solet. Quandoq; enim ejus Imperium ita circumscribitur, ut potissima Majest. Jura non nisi cum consensu Populi Procerumve Rex exercent. Ast quando absolutum Ei delatum est Imperium omnia quoque Regalia Adquisita esse censentur ut liberè inconsultis Ordinibus ea sibi arrogare possit. Extinctò autem Rege electò Regalia ad populum regrediuntur, quæ tam diu ipse exercet, donec aliam sibi constituit reip. formam.

III. Tertio regalia acquiruntur *jure belli*, quod inter duas pluresve gentes summa potestate gaudentes armatâ manu geritur. Illud autem est *justum*, vel *injustum*, vel *aggressivum*, vel *defensivum*. Posterius non tam ad acquirenda, quàm defendenda Regalia spectat utrumque tamen tam offensivum quàm defensivum justum vel injustum est. Quamvis enim omnis defensio regulariter

est licita, dum quisque id quod ob tutelam corporis sui facit, jure fecisse existimatur, fieri tamen quandoque solet ut non solum bellum vindicativum sed & defensivum injuste suscipiatur. Sic v. g. qui evidenter sibi perspectum habet se injuste id possidere, quod cædibus aliorum defendit, ille sane omnia potius perdere debet, quam res injuste possessas alium occidendo retinere. Econtra vero justa belligerandi causa sæpius evertitur & contaminatur injusto fine ac intentione, quas tamen causas hic considerare ab instituto nostro alienum foret. Igitur in genere saltem notandum: Omnia bella sine necessitate suscepta injusta esse, cum nihil naturæ tam adversum, quam vis externa. Unde ipsa ratio svalet extrema non esse primo loco tentanda, sed consilia omnia prius experiri, quam armis decertare. Quodsi verò nullum aliud suppetat remedium, quò declinari bellum possit in extremum denique Martem Gentium Arbitrum (causam justitiæ ita svaiente & durissimo quasi necessitatis telo urgente) compromittere licet. Quam sæpius autem ab omni ævo bella quantumvis injustissima sub hoc prætextu suscepta sint hodièque suscipiantur, ac quomodo Principes, si nullam aliam justitiæ causam allegare queunt religionis titulum prætexere soleant de eo videri poterit querelabundus Förstn. *ad l. 1. Ann. Tac. p. m. 76. & 108.* Quodsi itaque bello injusto Regalia sint adquisita nec subsequens subditorum pactum accesserit, quo usurpatum imperium violenti aggressoris approbent idem concessum erit populo, quod jam supra de iniusto successore, qui vi aut clam in regnum irrepsit, statuimus. Si vero pactum intervenerit, vitium illud acquisitionis purgatum intelligitur. Justo autem bello qui Imperium sibi asseruit non solum Jura Maiestatis legitime exercere, sed & subiectos Imperium eius detrectantes aut Regalia sibi arrogantes suppliciis afficere potest.

IV. Deinde Regalia quoque acquiruntur, quando populus Regi aut Principi hætenus fidei nexu devinctus suas rationes seorsim instituit ac postea cum illo velut libero populo Rex contrahit: Uti Batavorum, Helvetiorum, aliorumque populorum exempla satis prostant. Hi enim ad Imperium Roman. quondam pertinebant. Hodiè vero liberi, & ab Imperio plane exempti declarati sunt. Sic Hispanorum jus quoque, quod in Batavos habuerunt, penitus

penitus extinctum est, nec ob defectionem bellum Batavis inferri potest. Omnis enim macula per pactionem atque transactionem deleta est, ut adeò neutiqvam ferenda sit illorum sententia qui putant defectores pro hostibus habendos ac vindicandos esse in perpetuum. Nam defectio est personale quid, & poena defectoribus præstituta, in illorum successores nequaquam deduci potest. Grot. *de J. B. & P. l. 3. c. 19. §. 6. l. 2. c. 21. §. 8.* Porro Regalium adquisitio fit, quando Dominus ordinarius subditos suos tempore necessitatis contra ingruentem vim defendere nolit: Tunc enim subditi omnimodâ Jurisdictione se eximere ac commune patrocinium sub quo tuti delitescerent, sibi quærere possunt. In casu enim extremæ necessitatis restituimur an pristinum illum statum, quò adversus vim se tuendi ac conservationi suæ prospiciendi quilibet potestatem habet, quod tamen neutiqvam ad casum voluntatis, quando libuerit extendendum est. Tunc enim à civitatis corpore recedere non licet, quia jus naturæ favet quidem necessitati, minimè verò voluntati atq; inconstantia.

V. Sunt præterea alii modi quibus Regalia præsertim minora acquiruntur nimirum *Concessio & Prescriptio*, ubi ante omnia notari volumus quod si Regalia privatis concedi dicantur, accipiendum id saltem de perceptione emolumentorum, non de ipsis Regalibus: Regalia namque statim quàm primùm personam Principis egrediuntur talia esse desinunt. Hinc quando Principes ac status Imperii ea subditis suis Jure feudi concedunt, non conceduntur quatenus Regalia, sed ut Privilegia vel etiam ut usum solum & delatam quis habeat administrationem ejus quod Jure Superioritatis Principibus competit. Struv. *Synt. Jur. Feud. c. 6. aph. 13.* Igitur si talia Privilegia nomine Regalium hîc occurrant, communi saltem loquendi usu ita à nobis appellitari semel profiteri sat erit. Quod autem concessionem attinet illa fit vel per *Investituram* vel per *Privilegium*. Investitura alia dicitur *propria* alia *abusiva*. Propria est, quæ fit mediante contractu feudali, solenniter celebratò & traditione sive verâ sive fictâ ipsius rei in feudum concedendæ, 2. F. 2. & 33. Abusiva est, quando Dominus citra traditionem signò quòdam coram testibus adhibito Jus feudi alicui quasi cedit & in Vasallum recipit 2. F. 2. pr. add. Struv. *Synt. jur. feud. c. 8. aph. 2. 5.*

VI. Frequentissimum est ut Regalia Jure feudi recognoscantur & ita mediante in vestitura adquirantur, ubi nonnulli putant, inter quos est Sixt. de Reg. l. 1. cap. 5. num. 33. Quod etiam per abusivam Investituram Regalia adquirantur, cum ejusmodi Investitura sit loco traditionis, ideoque per eam Dominium & ipsa possessio transferatur. Verum quemadmodum usufructus aut Servitus non competit nisi fundus aut res in qua Servitus constituta est, tradatur L. 3. de Usufr. nec ante traditionem usufructuarius Jus in re sed saltem Jus ad rem acquirit, ita & is, cui Regalia per abusivam Investituram concessa sunt ex contractu isto feudali, Dominum investientem obligatum tantum sibi habet, ut tradat Regalia; acquisita autem non censentur, donec plena & perfecta traditio intervenerit.

VII. Diximus autem in abusiva Investitura signum saltem adhiberi, quod hasta vel aliud corporeum quodlibet esse solet 2. F. 2. pr. Hinc objiciet quis quod tale signum sit loco traditionis & ipsum Jus feudi signo hoc transferatur. Sed id ipsum est quod negamus. Porrectio enim hastæ & similium quæ in ritu Investituræ adhibentur, non potest ad fictos tradendi modos referri, sed solum solennitatis causa intervenit. Possessionem autem feudi hisce signis non transferri, constat ex 2. F. 26. §. si facta. Deinde Symbola ista ostendunt iis non significari veram traditionem, cum illorum longè alia sit ratio atq; conditio, quàm illorum, quæ in Legibus Civilibus habentur, Struv. Synt. Jur. feud. c. 8. aph. 9. Imò quod per abusivam Investituram Regalia non adquirantur, inde etiam apparet, quod Investitura hæc fieri possit, etiamsi alter aliquis, quamdiu in vivis est, ista Regalia habeat, ut investitus illa tunc demùm consequatur si prior decesserit.

VIII. Propriâ igitur Investiturâ, quæ fit mediante traditione, Regalia demùm constituuntur. Quoniam verò hæc sunt res incorporales, quæ in Jure consistunt, verus quidem tradendi modus, ut fit in rebus mobilibus, cum res de manu in manum traditur, hîc locum non invenit. Ficta autem traditio omninò fieri potest (1.) si quis in castrum cui Regalia cohærent inducatur eâ mente ut castrum cum Regalibus habeat. (2.) Si Dominus jubeat ut Vasallus apprehendat possessionem feudi cum omnibus Regalibus

galibus tunc & hæc simul apprehensa censentur, *arg. L. 18. pr. L. 12. ff. de Vi. & Vi arm. 2. F. 33.* Quò etiam pertinet, si abusivè investitus secundùm voluntatem saltem tacitam Domini Regalia exerceat, *arg. L. 2. C. de adq. poss. L. 60. ff. de R. 7.* Dum enim Superior alterum hoc vel illo Regali uti patitur, per usum & patientiam ea transtulisse præsumitur. Cùm & patientia in rebus incorporalibus sit loco traditionis, *L. 3. §. 1. ff. de Usufr. l. fin. ff. de Servitut.*

IX. Porrò Regalia conceduntur per *Privilegium*, idque rursus duplicis generis, nimirum Lege ipsâ uti in Imperio nostro est Aurea Bulla, aliisque constitutionibus, vel sine lege. Multa Regalia partim ex A. B. partim ex aliis Constitutionibus, Electoribus ac Principibus Imperii competentia congeffit Sixt. *de Reg. l. 1. cap. 5. num. 6. & seqq.* Sine Lege verò seu Constitutione quàm plurimi habent Regalia, quæ vel ex Gratia Superioris, vel ob benè merita, vel ratione officii, vel ex alia urgente causa Subditis concedi solent.

X. Conceduntur autem Regalia vel *Generaliter* vel *Specialiter*, sive per Privilegium sive per Investituram concessio fiat. Quemadmodum enim Donationes, Mandata & alia Jura vel in genere vel in specie quoad certos saltem actus, ac singulas res constituuntur, ita Regalia quoque vel generali vel speciali Privilegio alicui tribui solent. Si igitur unum vel duo aut plura Regalia nominatim in concessione exprimantur, ad alia non expressa concessio non erit extendenda. Quando generaliter Regalia conceduntur ea, quæ aliàs in signum PræEminentiaæ reservantur concessa non censentur. Quando autem Imperator feudum aliquod regale v. gr. Ducatum Principatum aut Comitatum alicui concedit, simul ipsa quoque Regalia tribuuntur, it, nisi aliud expressè constet. Quærunt autem hîc Dd. *Si Princeps donaverit castrum cui aliàs adhaeret territorium & jurisdictio an hæc simul concessa præsumatur, videtur affirm. V. Finkelt. D. 3. tb. II.* Ulterius quæritur *An in genere concessa Jurisdictio intelligatur quoque concessa Jurisdictio Superior? item, an privativè an Cumulativè collata censeatur?* Utrumque negamus. Prius quia singularis illa species Jurisdictionis Superioris ob magis graves & arduas, quas continet, causas, specialem requirit concessionem ideo

in dubio solum videtur concessa inferior. Posterius autem quia scilicet Jurisdictio radicaliter aut virtualiter, quatenus nimirum de ipsius origine quaeritur est penes eum qui habet summam potestatem, licet enim non ita formaliter sit penes Principem, uti in Magistratu quatenus tali residet, nec in Principis arbitrio sit, ordinem Jurisdictionis turbare, sed unicuique instantiae seorsim sua constare debeat Auctoritas, Jurisdictionem tamen non ita a se abdicavit Princeps, quo minus causam ab inferiori Judice avocare, & in ipsa statim prima instantia, suam auctoritatem interponere queat. Ergo nec privativè nec cumulativè, sed subordinatè concedi Jurisdictionem asserimus cum Dn. Struv. *Synt. Jur. Feud. cap. 6. apb. 18.* add. Strauch. ad Jus just. *diff. 20. thes. 10.* Zigl. de J. M. *l. 1. c. 29. n. 12. & 13.*

XI. Denique Regalia adquiruntur *Præscriptione*, ubi difficilis occurrit quaestio: *Num etiam Regalia Majora seu ipsum Summum Imperium quod aliquis in certa Provincia vel urbe per diuturnum temporis spatium quiete exercuit ab extero præscribi possit?* id quod plerique ac ferè omnes affirmant, & quidem ex eo quod præscriptionis Origo sit ex Jure Naturali & non solum inter privatos sed & Principes extremà potestate gaudentes locum obtineat. Verùm si præscriptionis naturam exactè consideremus, quòd nimirum ad illam necessariò certum temporis spatium requiratur, nescio an illa in Jure Naturæ sit fundata. Quod enim dicunt naturalem rationem in genere dictare, sufficere tanti temporis silentium in Domino quantum probabiliter ad vindicandam suam rem aliàs non negligenti satis sit, id quidem admitti posset, si Dominus non contradicat, & hinc acquiescere velit, sed si id neget & dicat se insciò rem suam tam diu ab altero fuisse detentam tacitus ejus consensus hic vix præsumi potest, cum ille in istud tempus, quo alter rem proscriptam esse dicit, nunquam videatur consensisse & ita res invito Dominò auferri nequeat. Quod si verò res arbitrio boni Viri committatur dubium sanè nullum est, quin eo in casu res sit illius, cui bonus iste Vir eam adjudicabit, siquidem tunc ex alio capite nempe ex pacto seu compromisso ejus voluntati atque sententiæ utrique stare tenentur. Ast prior casu quando Dominus antiquus rem suam repetit exceptione pro-

præscriptionis repelli haud poterit; cum certum temporis punctum in Jure naturali nondum sit determinatum. Quamdiu igitur in designando annorum numero ratio habetur usucapionem ac præscriptionem non nisi pro foetu Juris Civilis agnoscendam esse putamus. Nec tamen ideò inconueniens aliquod statuimus quasi rerum dominia sic semper in certo manerent, ex quo lites ac bella orirentur ac nunquam finirentur. Nam dantur aliæ urgentissimæ causæ, ob quas antiquus Dominus juri suo cedere obligatur. Sic si quis per diuturnum temporis spatium Regnum aliquod possederit, quod non nisi cruento bello ac concussione totius Reipubl. repeti posset, ipsa tum æquitas naturalis dicitur, factius esse Jus suum habere pro derelicto quam Regnum sanguinolento bello recuperare; & ita ob has demùm vel alias rationes Dominus Jure suo se abdicat, quod hæctenus ipsi salvum remansit atque integrum. Placet itaque salvò aliorum judiciò atque auctoritate à communi hac sententia recedere & ad præsentem quæstionem negativè respondere.

XII. Hisce præsuppositis facilis est responsio ad illam quæstionem: *An Subditus Regalia contra Principem præscribere possit?* Hoc enim multò minus admittendum videtur, quia Subdito, quæ tali planè non competunt Regalia sive Majora sive minora. Totum enim illud Jus, quod Subditus in Regalibus exercendis habet, non aliter à Superiore concessum est, quam hac conditione, nisi temporis aut statûs ratio aliud exigat. Non tamen per rationem statûs hic spuriam istam solò lubitu voluntatis pro ratione subnixam, sed quæ commune aut magis universale commodum respuit, intelligimus. Hinc licet privatus aliquis Jus Vectigalium aut Teloniorum, Jus confiscandi bona, &c. in certo aliquo loco per centum annos exercuerit, si tamen Fiscus magnum exinde percipiat decrementum, quin Princeps aut ejus Successor subditum Juribus hisce privare ac solus uti possit, omni caret dubio. Præsertim si ex istis Regalibus privatorum loculi duntaxat impleantur ac nimix congerantur opes, quæ privatorum modum excedunt. Fit enim interdum ut quidam nunquam sui gradus satis patientes & magnitudine opum elati Principi cornua obvertant, ac in publicas factiones erumpant. Ut itaque istiusmodi ho-

mines tumidos ac seditiosos spiritus dediscant, tutius erit tollere illis aut minuere privilegia, convellere fundamenta, quibus illa nititur & velut subtractis alimentis, ignem ambiciosum extinguere.

XIII. Solùm igitur præscriptio locum habet de Jure Civili, quando nimirum Legislator certum annorum numerum rerum præscribendarum determinat. Et tunc demùm Regalia contra ipsum Principem præscribuntur. Requiritur autem ad præscriptionem Regalium (1.) ut quis illa possideat, seu aliquot actus horum juris exercuerit. Unus enim actus non sufficit, sed ad minimum duo, uti aliàs in consuetudine introducenda sunt necessarii, quos sine contradictione exercere debet, (2.) justum ac certum tempus Lege definitum accedere oportet, quod pro qualitate rerum variare solet; Aliud enim est tempus immemoriale, quod non solùm memoriam hominis excedit, sed cujus contrarium etiam à Majoribus aut Senioribus non fuit observatum, & talis præscriptio contra Principem locum habet. Summum tamen Imperium à subdito contra Imperantem, ne hoc quidem tempore præscribitur, cum summum Imperium non habeat parem rationem cum aliis rebus, ideoque nec illud Princeps præscriptione comprehendere voluisse probabiliter censi potest. *Grot. de J. B. & P. l. 2. cap. 4. §. 12.* Sed quæritur hîc: *Num Subditus ita Superioritati Principis præscribere possit, ut non amplius subsit?* circa quem articulum maximè dubii sunt Dd. uti refert Sixt. *de Reg. l. 1. c. 5. num. 145.* Qui pro affirmativa sententia communem observantiam allegat. Sed quamvis id de immunitate collectarum admittamus ob *l. 7. C. de fund. rei priv. l. 6. C. de præsc. 30. l. 40. ann.*, ut tamen Subditus omni Jurisdictione atque obedientia Superiori debita & supremæ potestati quasi innata se eximere queat, personæ Subditi, quamdiu talis est, neutiquam convenit. At sæpius contingere solet, ut Civitas quædam deficiat, & Principi suo se opponat, qui postmodum cum ea tanquam libera Civitate agit, de qua suprâ dictum; Illa sanè statim omni imperio pristini Domini se subducere potest, nec ulla præscriptione opus erit.

XIV. Aliud præscriptionis tempus est centum annorum spatium quod etsi à plerisque Interpretibus cum immemoriali confundatur, rectius tamen inter hæc duo tempora differentiam statuit, Carpzov. *Jurisp. part. 2. C. 1. def. 7.* Quamvis & interdum, centenaria præscriptio pro immemoriali in Legibus Civilibus accipi solet: Nam qui hoc vel illud Jus ad centum usque annos exercuit per immemoriale tempus istud possedisse dicitur; cum centum annorum terminum longævi homines vix superent. Et hujus ævi spatium longissimum vitæ tempus dicitur in *L. 23. C. de S. S. Eccles.*

XV. Quod si itaque Regalia sive per præscriptionem sive per concessionem acquisita sint, sine urgenti causa ac publica utilitate Subditis auferri nequeunt. Id quod non solum de Regalibus, sed quibusvis aliis Privilegiis ac immunitatibus utcunque ex mera gratia concessis asserendum erit, eò quod talis Privilegii concessio vim habeat Donationis, quam sine causa revocare non licet. Et quamvis rarò sit facienda concessio Regalium ac immunitatum, rarius tamen aut nunquam minuenda aut revocanda. Nam præterquam quòd fides concedentis minuat, magno sæpius exponuntur periculo Principes, qui persuasum sibi habent Privilegia & immunitates non aliò fine concedi Subditis quàm pueris plorantibus cerasa & crepundia, auferenda rursus cum plorare desierint, Förstn. in *Tac. l. 2. Ann. p. m. 193.* add. *Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 14. §. 13.*

XVI. Est verò & illud hic addendum Principem in concedendis ac præscribendis Regalibus non ita excludi aut renunciasse illis Juribus, quò minus in re simili uti queat. Quemadmodum enim Dominus prædii servientis non ita prohiberi potest, ut ipse constitutâ servitute non utatur, fruatur *L. 6. C. de serv. & aqu.* ita etiam Princeps in concessione vel præscriptione Regalium exercitium illorum exigente publ. necessitate non totum à se abdicat; quin potius, licet nihil nominatim exceptum, imò concessio cum translatione omnis Imperii & potestatis facta sit, semper tamen Superioritas, facta tecta remanet, adeò ut etiamsi Princeps aliquid concedat inferiori de Reservatis, intelligitur tamen hoc facere non cum plenitudine concedentis, sed eò modò, quo is

ax
TK
2802

non præsumantur, ideò Regalia asserenti ea sibi deberi hoc petitorio
agenti incumbit probatio. In actione autem negatoria agitur con-
tra illum, qvi Regalia præten dit, & petitur ut is jubeatur desistere,
à Regalium usurpatione, & tunc reus excipiendo Regalia sibi com-
petere affirmanti injungitur probatio nisi, actor asserat Regalia vi
aut clam aut precario à reo esse adqvisita: qvia tum uti aliàs in
servitute neganda onus probandi Actori incumbit. Carpzov. Proc.
tit. 13. Art. 1. num. 29. & seqq.

V. Personaliter verò agere potest is, cui Regalia tantum
promissa sunt, aut qvi abusive de iis investitus est. Quemadmodum
enim ex contractu feudali, & Investitura abusiva obligatio persona-
lis inter Dominum ac Vasallum intercedit, uti supra ostensum fuit,
ita ex promissione & abusiva Investitura Regalium oritur actio per-
sonalis. Sive igitur ex Investitura sive ex Privilegio seu ex con-
ventionem competant Regalia datur vel actio ex Investitura vel con-
dictio ex pacto, ex lege, vel etiam agi potest imploratione judicis,
qvippe qvæ toties competit, quoties nulla alia concessa est actio.
Et hæc etiam de actionibus Regalium dixisse sufficiat. Plura hîc
non addo, qvòd adest, boni consule L. B. qvòd si non omnia per-
spicacibus tuis oculis arrideant, modestam, qvæso, de

iis, feras censuram.

S. D. G.



107





© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches
Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Handwritten text in a historical script, likely Gothic or similar, is visible on the manuscript page. The text is faint and partially obscured by the ruler and color patches. A circular stamp is visible on the right side of the page, containing the text 'BIBLIOTHEK' and '1840'.

